Quelle: http://manuscripta.at/?ID=25885
Copyright: Admont, Benediktinerstift

positum est. et mensus est hunc et in laquearia super
liminaris. siue uestibuli. per latera domus com
pacta siue coniuncta. que illi dixere ELYTWMA
NA. per quibus possimus equi ponderis uertere.
Vir quoque ille qui prophetam in adita templi intro
duxerat. et inter cetera ostendat ei altare
ligneum. quod et angulos. et cornua iuxta lxx. et
parietes habebat ligneos. dixit ei. Hoc altare
quod respicis. ipsa est mensa coram domino. que in simi
litudine rubi ardet. et non comburitur. De qua sanctus
loquitur ad dominum. parasti in conspectu meo mensam
aduersus eos qui tribulant me. Duo quoque ostia erant in templo.
et in ipso sanctuario. per que utriusque instrumenti sa
cramenta monstrantur. et in duobus ostiis ex utraque
parte bina erant ostiola. que in se inuicem
plicabantur. ut et in hystoria spiritalem habeas
intellegentiam. et in tropologia hystorie uerita
tem. quorum utrumque altero in· diget. et si unum
defuerit perfecta caret scientia. Quod autem sequitur:
bina ostia erant ex utraque parte ostiorum. iux
ta litteram perspicuum est. Solent enim in maioribus
tricliniis bina sibi herere atque coniungi. ut ma
ior introitus nequaquam duobus et ingentibus. sed
uu. minoribus claudatur uel aperiatur foribus.
in quibus ostiis templi. siue sancti sanctorum. celata
erant cherubym de quibus supra diximus. et sculpture
palmarum. ut per scientie multitudinem. uicto
ria intrantibus preberetur. Que sculptura pal
marum. in omnibus quoque parietibus templi erat.
Redditque causas. quare celate fuerint in ipsis
ostiis cherubym. et palmarum expresse similitudi
nes. unde et grossiora erant ligna in uestibulo
porte forinsecus. ut et firmitatem haberent. et ce
laturam possent recipere. Pulchreque iuxta in
telligentiam spiritalem firmiora et celata sunt ostia.
ut et firmitatem habeant. et pulchritudinem. ne quis
ad sancta sanctorum similis ozie possit irrumpere. et sibi
sacerdotium uendicare. Super que ostia erant
fenestre oblique siue absconditae. ut ipsum quoque
lumen quod prebebatur intrinsecus. non haberet perfectam
scientiam. nec clarum lumen. et cunctis patens. sed
plerisque ex parte esset absconditum. Non enim
uidemus in enigmate. et necdum nouimus sicut
oportet nos scire. Cum autem uenerit quod perfec
tum est. tunc quod ex parte fuerat destruetur.
Et erat similitudo palmarum hinc atque inde.
Eleganter in interioribus templi. et in sanctis sanctorum
non posuit dexteram et sinistram. ne quid sinis
trum in his que magna sunt et archana dicere
uideretur. sed hinc atque inde. iuxta illud
quod in euangelio scriptum est. qui te percusserit
in dexteram maxillam. prebe ei et alteram.
Numquam dicere non potuit. et sinistram. Sed quando
percutitur dextra prebetur altera dextra.
quia in sancto uiro utrumque dextrum. utrumque
perfectum est. et in humerulis uestibuli.
secundum latera domus. latitudinemque
parietum. pro quo lxx. transtulerunt in laquearibus
elam. hoc est ERWPYLY. et latera domus
equalis ponderis siue mensure. per que
latenter ostenditur. et postes super limina
ris siue uestibuli. hoc enim humeruli
uidentur significare. et latera domus.
et latitudinem parietum. cuncta rationis
plena esse atque mensure. et nichil in
templo domini repperiri. quod absque mensura
ET SAPIENTIA
CONSTITUTUM SIT.

Explicit liber xiii.